ADMONITIO.

PRæcedentis quinti & huius ſexti exemplorum imitatione, octodecim variæ ſoluuntur huius, & cuiuſque trianguli quæſtiones. Ex datis enim (vt in quinto exemplo) angulo poſitionis ſolis, hora diei, & altitudine ſolis, habetur primò eleuatio poli, ſecundò plaga ſolis, tertiò declinatio ſolis. Item datis (vt in hoc ſexto exemplo) hora diei, angulo poſitionis ſolis, & eleuatione poli, habetur quartò altitudo ſolis, quintò plaga ſolis, ſextò declinatio ſolis. Item datis hora diei, plaga ſolis, & altitudine ſolis, habetur ſeptimò declinatio ſolis, octauò angulus poſitionis ſolis, nonò eleuatio poli. Item datis hora diei, plaga ſolis, & declinatione ſolis, habetur decimò altitudo ſolis, vndecimò angulus poſitiônis ſolis, duodecimò eleuatio poli. Item datis plaga ſolis, angulo poſitionis ſolis, & declinatione ſolis, habetur decimotertiò eleuatio poli, decimoquartò hora diei, decimoquintò altitudo ſolis. Item datis plaga ſolis, angulo poſitionis ſolis, & eleuatione poli, habetur decimoſextò declinatio ſolis, decimoſeptimò hora diei, decimo-octauò altitudo ſolis. Atque ita huius ſolius canonis methodo, quinquaginta quatuor variæ ſoluuntur quæſtiones eiuſdem trianguli non quadrantalis. Cæteræ inferiùs ſoluentur.

9. *Ex his itaque patet quod duorum angulorum & ſuorũ ſubtendẽtium laterum tribus datis, quarti ſaltem* Logarithmus innoteſcet, *tacita etiam quadrantalium deſcriptione. Ab aggregato enim ex Logarithmis anguli & lateris ſibi adiacentis datorum, aufer Logarithmum tertij dati, & proueniet inde Logarithmus quarti quæſiti, ipſumque quartum, niſi ſit incertæ ſpeciei, innoteſcet.*

Vt ex ſuperioribus tertio, quarto, quinto, & ſexto exemplis percipi poteſt. Angulorum enim baſis Z.P.S. & Z.S.P. & ſuorum ſubtendentium crurum Z.S. & Z.P. dentur tria, quæ (verbi gratia) ſint crura Z.S. 47, eiuſque Logarithmus 3128580, & Z.P. 34. eiuſque logarithmus 5812606, cum huic adiacente angulo Z.P.S. 42. 29'. 59". cuius Logarithmum 3921720 adde ad 5812606, fit 9734326 (Logarithmus ſcilicet taciti

taciti & ſuppreſſi perpendicularis Z.M. vel anguli Z.H.S. ſeu Z.I.P.) à quo aufer 3128580 remanet 6605746 Logarithmus quarti Z.S.P quæſiti. Ipſum itaque quartum Z.S.P. erit 31. 6'. 5". Quoniam per 2. ſect. cap. 3. mînus quadrante arguitur. Contrà autem datis Z.P. 34. eiuſque Logarithmo 5812606. & Z.S. 47. eiusque Logarithmo 3128580, cum huic adiacente angulo Z.S.P. 31. 6'. 5". ad cuius logarithmum 6605746, adde 3128580, fit aggregatum (vt ſupra) 9734326. à quo aufer 5812606, prouenient 3921720 Logarithmus quarti quæſiti, ſcilicet Z.P.S, cuius arcus per 1. ſect. cap. 3. incertus eſt an ſit 42. 29'. 59". an 137. 30'. 1", niſi declaret hypotheſis maiórne, an minor ſit quadrante.

DE NON QVADRANTALIBVS puris.

CAP. VI.

HActenus de partibus miſcellaneis datis: *Sequuntur* puræ.

1. *Puræ ſunt tres partes eiuſdem generis data. Suntque aut tria latera data, & quæruntur anguli: aut tres anguli dati, & quæruntur latera.*

ADMONITIO.

2. *Puræ quamuis ſimplicitate priores, ob difficultatem tamen earundem meritò hic poſteriorem ſortiuntur locum.*

3. *In triangulis Sphæricis primò ſumma ex Logarithmis crurum ſubducta à ſumma ex Logarithmis aggregati & differentiæ ſemibaſis & ſemidifferentiæ crurum, relinquit duplum Logarithmi dimidij anguli verticalis.*

Quia